

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Joachim Otto

**Ingenia in sua Libertate & Mutatione Stralsundi, in sua vero Ratione Status In  
Scientiis Rostochii, Tribus orationibus solemnibus perlustravit, Et iam  
quorundam Amicorum rogatu typis expressa**

Rostochii: Richelius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863>

Druck Freier  Zugang





MK-11675/1







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729968863/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863/phys_0004)

**DFG**

Phys 1 Udo 1977  
1050,1923 Kony

387

MK-1162534





Q. B. V.  
**INGENIA**  
in sua  
**LIBERTATE**  
&  
**MUTATIONE**  
STRALSUNDI,  
in sua verò  
**RATIONE STATUS**  
IN SCIENTIIS  
**ROSTOCHII,**

Tribus orationibus solemnibus perlu-

stravit,

Et jam quorundam Amicorum rogatu typis expressa  
exhibit.

**JOACHIMUS OTTO,**

Scholæ Rostoch. Rector.

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIEUS, Ampl. Senat. Typogr.  
Anno 1687.





# VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis,  
Amplissimis, Prudentissimis

# DOMINIS

DNN. CONSULIBUS,  
Dn. SYNDICO  
DNN. SENATORIBUS  
Dn. PROTONOTARIO  
Dn. SECRETARIO

Reipubl.

STRALSUNDENSIS,  
Patronis Summis, Primæ <sup>r</sup>Pomotionis suæ  
Autoribus ætatem Colendis, deprædicandis,

has orationes,  
uti fuere habita,

In primum grati animi <sup>leximus</sup>, & ulteri-  
orem Sui commendationem

obsvranter dicat  
decenterqve offert.

AUTOR.





## A. Ω.

Salveto Magnifice Reipubl. Stralesundensis Senatus, *Salvete Viri Magnif. Ampliss. atqve Excell. incluti* hujus Gymnasii Antistites, *Salvete Viri Plur. Rev. V. D. Minist. nec non* Gymnasii hujus Rector Celeberrime, ejusqvè Collegæ honoratiss. Patroni, Fautores, atqve Amici suis qvisqvè titulis æstumatissimi; Salveto & Tu, qvam in delicij habeo maximis, lectissima Studiorum juventis Corona.

ac, *Proceres atqve Patres Conscripti*, jucunda Salutis voce qvamvis appetaturā prosperitatem haud abs reutor hodiē vos compellaturus; siue enim splendidissimus Vester Confessus oculis occurrat, siue hæc ornatiſſima Sapientiæ ſedes, hoc ſelectum Muſarū habitaculum, meam ſubeat Contemplationem, ſive etiam ipſius hujus Mensis tempeſtatem intuear, ad iſtam ſalutis præfactionem invitor, ad gaudii exclamationem ſollicitor. Primò Veftrum jam iuftineo benevolentissimum Conspectum, primò Verba facturus hoc ingressus ſum auditorium, primò lucis hujus uſuram oculis uſurpare hic contigit. Quemadmodum

A.

dum

dum vero se invicem adeuntes, vel sibi obvii facti principium subsecuturi Colloqvi petunt à consuetâ salutandi formula, ita quoque prima orationis jam habendæ verba vestris, *Patres Conscripsi*, Vestris, inquam, nominibus salutandis sacra, dicata volui. Scilicet, vitam cum transigamus variis ærumnis, variis mortis stimulis, varioque mortis metu quotidiè luctantem, de conspecto integritatis vestræ adhuc vigore mihi jam gratulatus ejus diu duratura toto animo precor indies incrementa. Neque minus Auditorii hujus elegantia animum in admirationem rapit; Video aptam lapidum reliquorumque coherentiam, adverto elatum Columnarum sufficientium ædificium artificium, admiror augustam loci amplitudinem; Hæc sane uti in decantandas Gymnasii hujus laudes contemplantem deferunt, ita nec sine nitoris haud interituri voto videntur admittere. Platonem accepimus quemvis Geometriæ expertem ad auditorium suum aditu exclusisse. Vedit vir ille universæ Græciæ judicio Vates reliqua ferè universa studia ingenii hominum haud difficilem aperire transitum ad animi libidinem exerendam, ad rerum tumultus conflandos, ut adeò Geometriâ, cujus altum scrutinium comitari sollet tranquillitas, vacuos crediderit seditiosos futuros. Quanquam vero hujus auditorii facilitas nemini liberum invideat introitum, ejus tamen conspectu indignum se præberet, qui gratulatione suppressa quereret recessum; Itaque tantum abest, ut lætitiam inde collectam subtingendo indigni incurram suspicionem, ut plena gratulatio-nis voce spem salutis inde ulterius futuræ concipiam. Salutem in eo promittunt animi in amicam conjunctio-nem conspiraturi, salutem in diversa quidem, ast non ad-versa, abitura studia afferent, salutem in omnibus adju-tura

tura Dei cura conciliabit. En gaudii incitamentum! Faftos  
si consulimus, Majiluce nos jam agnoscimus illustratos;  
Mensis hujus amoenitatem extollit versicolor florum e-  
legantia, auget viridis Camporum facies, deprædicat  
Sylvarum distincta foliorum umbrâ Voluptas. Ecqvid  
aliud inde ceperis augurium nisi haud cessaturæ felicita-  
tis; Et qvamvis res nostræ varia agitentur vicissitudine,  
felicitas tamen nostra inde in majus subinde nititur  
augmentum; Si qvæ tamen subortura tempestas rebus  
nostris videatur ruinam inferre, facile ea discutitur beni-  
gno providentiæ divinæ afflatu. Inde auribus nostris bene  
sonantia salutis Verba meritò sibi primas in hōc sermo-  
nis genere vindicarunt partes. Ut vero lucis fulgorem  
varijs illustrat radiorum confluxus, ita conjunctam fa-  
lutis svavitatem ameno consensu actionum commen-  
dat varietas; Etenim, cum natura gaudeamus perfe-  
ctionem participante, in societatem coimus, mutuâ operâ  
nostram procuraturi salutem; Hujus in testimonium  
ipsa creatura hominem provida DEI Sapientia ita ipsum  
condidit, ut ei statim diversam adjungeret vitæ actionum  
qvocqvè Sociam. Hinc Respubl., qvam, remotis opifi-  
cibus, alijsqvè studiis addictis, mera literatorum consti-  
tueret Societas, miseram profectò præ se ferret felicita-  
tem facile in sui destructionem ruituram; Ut itaqve ad  
modum musices constans omnium vigeret felicitatis har-  
monia, actionum contemplamur diversitatem; Et qvem  
admodum percepta instrumenti cujusdam Musici fides  
dissonans corrigitur, & lucis impedita illustratio, nubi-  
bus celum obducentibus discussis, iterum emergit, pari  
qvoqve ratione actionum subnatam discordiam statim  
reducendam esse ad Concordiam, salutis svadet conser-  
vandum duramentum. Cum vero totum actionum ne-

gotium à varia ingeniorum pendeat dispositione, liberatam ingeniorum brevi temporis decursu ad considerationis trutinam revocare, mihi jam est constitutum. Favete ergò Proceres atq; Patres conscripti ea, qva in me estis benevolentia, lingvæ imbecillitati, favete, qvotqvot hīc præsentes Patronos, qvotqvot Fautores atq; Amicos submissè veneror, *ingeniorum* campum percurfuro; Favete & Vos, O Mei, qvos doctrina hoc in Gymnasio sum posthac, DEI gratiâ, instructurus, Vestra etiam commoda jam persecuturo; Verbo; favete singuli benevolentia Vesta dicentem sublevaturi.

Quemadmodum, Aud. H., Chymicorum filios abstrusa naturæ scrutantes mysteria varius occupat labor, varia, qvamvis subinde vana, in diversa agit instituti experimenti expectatio, ita ingeniorum exploratus profunditatem varios sibi obvios advertit tortuosos flexus prudentia qvā maxima discernendos, declinandos: Et sanè crediderim Hominum ingenia certare cum Protheo, illo Poëtarum fabulis familiarissimo formarum Vertumno, de metamorphosi, in qvam abeunt. Ut vero filum labyrinthi limini alligatum negati exitus periculo intrantem exemit, ita ingeniorum sinus adituri prius convenit eorum indolem sibi expetere delineatum. Dixeris itaq; ingenia *inclinationes intellectus ad sui exercitium Moribus vindicandum*. Nimirum uti ab affectibus, illis letitia triſtitiaeq; Vectoribus, Voluntas videtur suarum motionum accipere varietates, ita ingenia, illa illustri Verulamio dīcta Georgica animi, intellectus introducunt nescio qvot propensiones; Sicq; ingenia supra terrenorum, qvæ cedula dissolvit infirmitas, conditionem sedem suam eveniunt ad Celestium nunquam ruituram sublimitatem. Intellectum enim ipsis proprium dum incolunt, mentis qvo-  
que

que naturam gloriabunda participant. Ast quid mente cogitas? Rem eam contemplaris aegrè cogitationis Tuæ lucem subituram. Tanta enim Mentem ad Sui contemplationem comitatur difficultas, ut vix momentum ipsi concedat varia statim extra se obvenientia fibi repræsentando, judicando. Advertis tamen in mente cogitationum fluxum continuum, advertis sublimitatem celestem ejus originem loqventem, advertis facultatem rerum connexionem investigantem, earumque differentias notantem. En Mentis & ex ea fluentem ingeniorum gloriam! Quemadmodum vero ex intima, quæ Menti cum corpore ex Sapienti DEI voluntate intercedit, Conjunctione, actionum passionumque fluens communio Mentem subinde ad Corporis componit subortos motus, ita ingeniorum flexus saepius corporis, cuius cum mente inierunt societatem, seqvi conditionem, compertum est. Et quid? ipsum, cuius dulcis animum delecat amor, natale solum unà cum cibo sibi fingere incolarum ingenia, praeter experientiam historiarum evincunt monumenta. Scilicet ut currus lapidi vel alterius generis obstaculo illisus Aurigam Rectorem suum nonnunquam etiam ad dolorem usq; concutit, ita corpus Spirituum præcipitiis abruptum, vel sanguinis spissitudine infestatum ingenia turbat, sufflaminat, in noxia agit. Et quanquam hæc ingeniorum, quam tractandam suscepimus, videantur de statione sua deturbare libertatem, non tamen id effectum dare plus valent, quam in corpore passionum iusto major vehementia, sive organorum laesione producta, sive ipsam organorum jacturam efficiens, Rationem Mentis in exilium agere sustinet. Et quidem *Libertas ingeniorum*, consideratis omnibus concomitantibus, immunitatem exhibet à coactione consensu in alterius arbitrium cum

promptitudine rem cognoscendi, cognitam dijudicandi, dijudicatam vel appetendi vel aversandi. O svave libertatis auribus nostris nomen! Hujus amore in obsidione Aqvilejenſi, qvam ille magna statura horrendus imperator Thrax, licet cum interitu suo, susceperebat, vel ipsæ Mulieres capillos suos funibus convolvendis porrexerunt; Quid? hujus amore antiqui Germani extrema qvæque qvovis periculi tempore sunt experti. Hinc qvos fama virtutis, qvamvis suspectæ, nobilitat, Galli alia inter solemnia, die coronando Regi sacro, caveæ antè inclusam avem liberæ permittunt auræ, læto omnibus felicitatis spectaculo. Ast qvid hoc ad ingeniorum libertatem? Hâc destituti ad terrenorum dejiciuntur vilitatem felicitatis spe exclusi. Qvod enim sic afferre potes gloriationis tuæ subsidium? Spirituum nobilitatem? Ast qvæ nobilitas sine rationis libertate? Formæ venustatem? Ast qvæ formæ gloria, qvam libertatis negata deformat prudentia? Divitias? ast qvid divitiæ sine earum libertati instituenda usurpatione. Tantum abest, ut libertatis defectus vel jactura cum vera felicitate queat inire Commercium, ut ab ea qvam longissimè removeantur. Nam felicitati absqve rerum cognitione, qvæ libertate profligatâ exulat, neqve loci neqve usus conceditur copia. Hinc benignissimum Numen, ut felicitati etiam in his terris, qvas jam certissimus manet interitus, capiendæ qvis idoneus existeret, Hominem Mentis ejusqvæ libertatis præstantiâ ornatum in amplissimum hunc amœnitatis inferioris campum introduxit. Et qvemadmodum multiplicationis facta benedictione, ejusqvæ fœundo subsecuto successu, qvisqve propria gaudet essentia, ita etiam jura consensu Sui intimi qvisqvæ suspendit à suo arbitrio ingenii secutus libertatem. Quid  
verò

verò inde tanquam ex scaturigine profilit? Mirandum  
ingeniorum discrimen, alio in artes humanitatis, animi  
culturam promoventes, alio in corporis studia discenda,  
excolenda propendente. Nempe uti in arbore aliud  
ramum spectamus inferius, aliud in medio pendentem,  
aliud vero in eminentiam excrescentem, ita ingenia a-  
lia inferiora, alia media, alia summa petunt. Tam mi-  
rè ad ordinis & exin pendentis felicitatis stabilimentum  
DEUS finxit ingeniorum indolem, ut mirabilem DEI Sa-  
pientiam in producta humani vultus Varietate monstra-  
tam quam maximè adæqvæt. En miram Ingeniorum  
libertatem! Hæc liberiorem Sapientæ recludit aditum  
ad ignorantiae abitum, hæc Veritatis suscipit Patrocini-  
um, ut falsitatis ruat asylum. Scilicet libertas quem-  
admodum felicitatis amorem semper habet comitem, ita  
impigrum Veritatis abditæ neque nocte cessandum ag-  
greditur scrutinium. Ducem h̄ic in naturali rerum ac-  
qvirenda cognitione seqvitur lumen Rectæ Rationis  
residuum, in celesti vero Veritatis fulgore percipiendo ve-  
neratur sacrarum literarum lumen nullis circumfusum  
tenebris. Neque enim absqve his viæ ducibus, omni de-  
ceptionis metu vacuis, libertati patet aditus ad Veritatem,  
neque aliquæ relinqvit gloria; His contra stipata,  
vel in ipso viæ compito rectam eligendo ad munitissi-  
mam Veritatis felicissimè pervenit arcem, undisqve flu-  
entibus proscissis, ventis secundis aspirantibus por-  
tum ingreditur tranqvillitatis. Sic ingeniorum libertas  
Veritati eruendæ inservit, inq; ejus animum foventes inci-  
dit complexus; Ecquid hoc libertatis usū præstantius,  
quid gratius? oblata menti h̄ic ponderantur, confusa se-  
parantur, obscura illustrantur; Nec quicquam mentis e-  
xamen detrectans nostram sibi polliceri potest fiduciam.

Ocu-

Oculos nostros Contemplantes deprehendimus tantam eorum circumspectionem, ut nil nisi lucis admittant radios, reliqua palpebrarum obducto velamine aversantes; Quidni deprædicandæ Mentis libertas maximâ sibi cura caveat ab admittendis Veritatis, qvam mentiuntur, specie fallentibus. Et qvanqvam multa primis annis rerum sœpè imbibimus præcipitia, adultioribus tamen factis, crescente judicio, convenit necessariam eorum abolitionem instituere. Viduam Svecorum Reginam Sigris appellatam Vetustatis Svecorum referunt annales Annulum, qvem exterius fulgentem dono à Rege Norwegiæ Olao ipsius nuptias ambiente, acceperat, non sine animi indignatione ab jecisse, ejus comperta ad lydium lapidem vilitate. Hoc si ad præsens accommodaverim negotium, non adeò inique factitatum duxerim. Animi nostri, qvos teneri adhuc enervant anni, viduæ ferè imitantur sortes sibi ipsis consulere nescii & in oblitorum consensum faciles, ast maturiores, instituto recte examine, deprehensa vanitate meritò assumpta memoriâ expellunt. Valeant igitur præconceptæ Veritatis jacturam afferentes opiniones; Valeant humanæ lubrico innixæ fundamento autoritates, Valeant sensuum subinde dubii Valores; Nos libertati, ast sanæ, litantes Veritatis vestigia sumus pressuri de eventus prosperitate securi. O qvæ sic nos manent commoda? Nostris consulimus rebus nos excutiendo, cognita bona amplexando, aliorum favorem nobis conciliando. Nam ingeniorum dum libertate pollenus, saluti etiam nostræ prospicimus conservationis propriæ amore ducti. Eqvidem, cum Patriæ, Proximo non nobis, dixerit nos natos Romanæ eloquentiæ facile princeps, nec salutis ex libertate futuræ nobis videtur cura incumbere; Ast ut taceam, Amorem à se ipso incipere, studi-

studium alterius amoris ea præditum est indele, ut fœcunditatem qvoq; in autorem suum magna animi voluptate derivet; Interim tamen ut Serra trabi incidendæ applicata lineæ ab amussi assignatæ transgressionem reciprocatione sua haud exerrante declinat, ita nec nobis à signo Veritatis deflectendum salutem nostram libertate qvæsitur. *Rempubl.* si advocamus, ex ingeniorum in societatem abeuntiū uti originem, ita subinde majus illa capit incrementum. *Scipionem Burgalium* tradunt in nuptiis organum figurasse cum lemmate; *Varietate unitas*; & profectò Conjugio vix convenientius potuisset apponi *Emblema*; in eo enim, qvamvis ingeniorum actiones nescio qva inter se distractrant diversitate, semper tamen cum prima animorum conjunctione in societatis conspirant stabilendam unitatem. Interim uti conjugium libertatis ingeniorum consensu contractum felicitatem suam actionum concordi discordia auget, stabilit, ornat, ita *Ripubl.* fœcundam societatem ingeniorum libertas genuit, genitam nutrit, nutritam in majorem evehit vigorem. In curiâ suffragiorum colligit prudentiam, domi res componit ad familiae sustentationem, in fidei negotio Veritatis urget intrepidam confessionem. En libertatis hujus bona! utinam semper ita applicata laudis mereretur admiracionem! Ast qvam freqvens ejus committitur abusus Veritati infestus. Sunt, qvos ingenii præstantis vana extollit perswasio, libertati suæ omnia adscribentes; Ho c turgidum hominum genus cuncta in suam resolvit perfectiōnem, ut eā excidat, summa, neglectis imis, affectat, ut cum Icaro præceps actum vanitatis suæ pœnas luat, subterfugit exquisitum rerum scrutinium, ut Veritatis nudetur præsidio. Admiramur ignes ascendentes missiles, licet in sui ruinam citò transeuntes, admiramur funambulorum, terra neglecta, in sublimi fine ludicras agilitates,

B

admi-

admiramur locustæ saltum, licet statim feratur ad terram! Quidni ingenia sua jactantes ita miremur, ut eorum vanos explodamus conceptus? Tantum abest, ut nimia ingenii præstantis persuasio in lucidum sapientiae intromittatur conclave, ut ignorantiae tenebras augeat; Et profecto multi ad solidam adspirassent eruditionem, nisi jam obtentæ eos fefelleret persuasio. Nam dum ista inflantur vanitate, præposteram ineunt studiorum rationem, principiis adhuc vacillantibus securè superstruendo altiora. Quid inde expectare poteris, nisi falsitatis nebulas ægré viribus Tuis post discutiendas. Censuram similem merentur, quos ingeniorum occupat demissio. Virium suarum huius abjecto laborant metu, nullius proprii conatus periculum facturi. Scientiam ambiant sine præmisso rerum examine, profectus querunt ex sola dicentis autoritate, illo *av-  
m̄s ἐφα* se munientes. Ast quantum inde in scientiis rerum sæpe dispendium enatum, loqvatur experientia. Evidem autoritatem Scientiarum regno non cupimus exterminatum (nam divisam perfectionis possidemus mensuram,) omnem tamen ei fidem semper deferendam major detrectat Veritatis amor. Hoc qui susque deq; habuere, illustriorem subinde amiserunt Scientiæ lucem. Accedant tandem alienæ doctrinæ commissi fidei, pariter ingeniorum sæpe violantes libertatem. Si quereras transgressionis rationem, facilem, licet multiplicem, eam inveneris. Turbas libertatem desidiæ Temancipando, Turbas vana Profectuum tuorum concepta persuasione, turbas fanoribus præceptis obsequium detrectando. His Veritati nuncium mittentibus malis ut maturè medearur, omnem movendi lapidem nobis imponitur necessitas. A primis igitur annis nos aliorum tradamus informationi, ut ipsorum confilio adjuti, sublatis maximam partem obstaculis, adultiores rerum queamus subire censuram,

suram, Veritatisqe obtentum velum removere. Quem ingenii natura beavit acumine, non turgeat spe facile indispendae Veritatis. Nam Veritas maximis rerum obducta jacet involucris non sine difficultatis molestia in lucem protrahenda. Alexandro, cum difficultatibus Mathematicis offensus Præceptor imperaret clariss tradenda, spem omnem regii fastus Præceptor excusit responso dato, æqve omnibus hac esse difficultia; ita sanè doctus evasurus obliviscatur se potentem esse, & memoriam difficultatis ingenii fastum deprimat. Qui verò nimia imbecillitatis conflictatur opinione, despondere sapientiam non inducat animum. Lucem, quamvis sæpe videamus, spissis circumfundi nubibus, tandem tamen emergentem admiramur fulgore coruscum maximo; sic licet animum obscuret persvasa infirmitas, eum tamen, adhibita industria, luce Veritatis iri illustratum, non est, quod dubites. Lunam observas initio exiguo gaudere lumine, quo tamen proprius obvertitur soli, eo majus accipit lumen, donec in plenilunium excrescat. Quid ergo tuam obtendis imbecillitatem? Sit lumen Tuum exiguum! ast non circumfers illud extinetum; sit à Veritate adhuc remotum! ast quo majori indulseris scrutinio, eo propiori Veritatem accidis gradu usq; dum ejus intimo fruaris consortio. Sed quo dilabor? rumpam filum Vestra, A. H., verborum luxurie haud abusurus benevolentia, & me convertam ad id, cuius gratia hac concendi subsellia. Nempe ad Con-Rectoris subeundum munus in hoc amplissimum introductus sum auditoriū; & cum honoratissima Vestra, *Proceres atqe, Patres Conscripsi*, præsentia unâ cum musices concentu tenuitati meæ visa fuerit applaudere, in Vestram benevolentiam injurius essem sine gratiarum actione vos dimissurus. Sicqe ante omnia oculos converto ad DEUM T.O. terque M., in cuius abundantem gratiam, quæ possi-

ad

possideo, resolvo. Tuæ, O Pater optime! manus me formarunt, Tua providentia formatum aluit, Tua gratia me miserum vel ad præsens momentum contra omnes hostis insultus suffulsi; Tibi sit pro concessis viribus gratiarum actio, Laus & Gloria in nunquam terminanda secula. O Benignissime DEUS, Pater omnis misericordiæ, illumina mentem ulteriori gratia, ut ad maiorem cognitionis Tuæ gloriam evehar, gubernava Voluntatem, ut Sanctissimæ Tuæ Voluntati me conformem geram, Protege servum sanguine Filii Tui redemptum, ut Tuæ inserviam gloriæ. Has preces jam Vos excipitis Viri Magnif. Consult. Ampl. atque Excell. Dnn. Scholarchæ. Vobis, qvos inter merito primum, Magnif. Dn. *Charisi*, Tibi vindicas locum, Vobis inquam gratiarum actionis primitias offero non tantum pro facili accessu, qvem Vos cumprimis Viri Excell. Dn. Charisi & Dn. Hagemeister, mihi tum præsenti concessisti, sed etiam pro præsentatione, qvâ Magnifico hujus civitatis Senatui communicata operâ meam commendare voluistis tenuitatem. Alcibiadern Lucaninum fortunam suam ab alio dependentem indicaturum legimus carbunculum expressisse, qvi à Luna superiore illuminatus amplissimos sparsit radios addito Lemmate, *dum aspicis, nitesco*. Et qvæso qvid aptius hōc in me jam posset quadra-re? Versabar ante in hac urbe propter nominis obscuritatem in hominum ignoratione, nullo me commendante famæ nitore. Ast Vestro, O Viri Excell. Gymnasii hujus Antistites, Vestro inquam, luminoso aspectu ad lucem jam perveni, Vestro benigno lumine illustratus Magnif. hujus urbis Senatui innotui. O benevolentiam immeritam! Quid rependam? Destitutus divitarum bonis imitabor speculum, qvod receptum exhibit. Nempe referam gratam Mentem Vestræ benevolentiae memoriam semper observanter reculturam. Vivatis diu gratia DEI suffulti, Vivatis

tis in bonorum abundantia, Vivatis felices in DEI gloriam  
& hujus Gymnasii emolumentum. Jam me converto ad  
Magnif. hujus urbis Senatum, cui me totum debo. Vos,  
Viri Magnif. atq; Consultissimi, qvos capita sua venerantur  
Stralesfundes Cives, Vos, inquam, Vestra Munificentia  
meam sublevastis tenuitatem. Vestra Benignitas ad hoc  
subeundum, ut arduum, Scholasticum munus me elegit,  
electum Vocavit, Vocatum jam honorifica sua præsentia  
in hoc splendidissimum introduxit auditorium. Sic peregrinus  
vestro jam fruor favore, qvo Cives vestros fovetis,  
sic indignum evehitis ad dignitatem. O insigne gratiae  
munus! Nubes Solis radiis illustrata meritò hanc sustinet  
epigraphen; *Muneris hoc Tui.* Quid ego aliud? Profecto  
qvodcunq; jam circumferolumen, post DEI gratiam, Ve-  
stri est Muneris. Agnosco hæc submissa animi devotione  
gloriæ vestræ inservitus. Scilicet qvemadmodum helio-  
tropium, à qvo pendet, in eum ora convertit, sic os laudis,  
os gratiarum actionis jam resolvo, & observantia debita  
posthac sum semper resoluturus in Vos, o maximè suspi-  
ciendi Patroni Mei! qvorum benevolentiae hoc vitæ genus  
refero acceptum. Servet Vos, qvos Patronorum meorum  
Veneror gloriæ, Benignissimum Numen ab omni malo  
immunes, servet vobis gubernatoribus Rempubl. tran-  
qvillam, felicem, restituat vigori pristino diruta, lacerata;  
dirigat Consilia Vestra salubria in sui Nominis glori-  
riam & felicitatis Vestrae incrementum! Ut rem paucis  
comprehendam, Vivatis, Patres devenerandi, diu supersti-  
tes in felicitate Vestri regiminis, ut observantiæ meæ diu de-  
lectemini, sentiat Sene&tutis Vestrae vigorem adolescen-  
tiæ haud inferiorem! His votis nunc jungam maximè Re-  
verendos Verbi divini Ministros; Et qvemadmodū, vobis,  
*Fatres Reverendi,* placuit hunc inaugurationis meæ splen-  
dorem vestra augere honoratissima præsentia, ita gratias  
pro ista benevolentia, qveis asseqvendis mens sufficit, ago

maxi-

LXIC

maximas, Vestris, datâ occasione, promptissimo studio obsecuturus officiis.  
Luceatis Verbi Divini luce indies majori, Luceatis in salutem animarum  
ut istis lumen accendatis, Luceatis vita longinqvæ prosperitate in hoc celi,  
quod Christo colligitis, regno. Jam ad Te, *Vir Excellens*, Rector hujus Gymnaſi. Celeberrime, dirigo oculos. Admiror Tuâ humanitatem, veneror, quæ  
es in me, benevolentiam; Hæc qvemadmodum laudes nominis Tui extol-  
lunt deprædicandas, ita animum meum etiam in Tui alliciunt amorem;  
Et profectò mihi impensè gratulor de fortuna, quâ Tibi jam jungor la-  
boris socius; Quid grati officii mei ratio Tibi offerat? Alienus à fuso  
observantiam & amicitiam, quæ Collegas decet, jam recipiam Tuæ Clari-  
tati nunquam non futuram integrum: O faxit Benignus DEIUS, ut viri-  
bus conjunctis Concordi actionum discordia commoda juventutis pro-  
moveamus felicissimè; Vivas interim Vir Ampliss., Clariss., in DEI glori-  
am omnibus stipatus bonis; Crescent animi corporisqvæ vires indies in ma-  
jus Tui stabilimentum; Vigeas vitæ prosperitate nunquam defectura; Vobis  
verò, Viri Clarissimi, Honoratissimi, qvos itidem *Collegarum* meorum per-  
grato Veneror nomine, Vobis inqyam, O Viri optimi! meam promitto a-  
micitiam cum alacritate Vestris respondendi desideriis; Exulet à no-  
bis detestanda discordia Concordiæ omnem daturis operam; Ego sane,  
quantum in me fuerit, omnem discordiæ futuræ materiam maximo aver-  
sabor studio. Ceterum suffulciat Vos altissimi DEI gratia, ne vires schola-  
stico oneri succumbant, Vivatis felicitatis Voluptate perfusi, satiet vos vi-  
tae longinquitas, avertuncatis omnibus malis. Tandem & Vos, O Mei, qvos  
discentes hoc splendidissimum alit Gymnasium, compello. Et qvemad-  
modum Vobis omnem studiis Vestris invigilaturum polliceor amorem, ita  
& Vestri animi studia mihi jam promitto pietate qvovis tempore facillima.  
Imitemini Salvatorem Vestrum JESUM Gratia DEI & Sapientia crescentem  
observantiae studio; Pendeatis ab ore docentis freqventes; Paucis, Vivatis  
in DEI gratia officii Vestri memores, sic certissima studiorum capietis in-  
crementa à malorum Consortio & fortuna deploranda remoti. Qvod su-  
perest, supplices ad DEum fundamus preces pro Conservandæ omnium sa-  
lute. O Pater omnis Misericordiæ, cuius nutu reguntur omnia, serva Regem  
nostrum Clementissimum diu in vita felicem, ut nostræ felicitati inde acce-  
dat haud interruptus Vigor, Multiplica Regiam ejus domuni, ut nobis cum  
posterioris de posteritate Regis nostris gratulemur, suffulci Remp., quæ hæc in  
civitate colligitur, Tua foecunda gratia, ut ejus vigore cives erigantur,  
foveantur, Conserva Gymnasium hoc inclutum, ut Tua gloria inde per or-  
bem illustretur, sis tandem omnibus nobis in prosperis timori, in adversis  
solatio & robori, in ultimis auxilio & lætitiae per JESUM.

D I X I.

# A. Ω.



uanquam, Aud. *Magnif. Honoratiss.*, complures terrenis vel cum salutis jaætura mancipati, nescio qvam, rerum sibi sæpè persuadent constantiam, sanioris tamen mentis cura duci omniū advertunt mutationem, fiduciam nostram enervantem. Celum, fulgidissimum illud speculum, contemplantibus, licet spem alicujus constantiæ videatur initio accedere, eam tamen omnem extinguit subsecuta corporum lucidorum occasus & ortus vicissitudo. Et qvanquam sol & stellæ intra se à vicibus sibi vindicant immunitatem, stationis tamen suæ ne momentum qvidem juxta Sacrarum Literarum ductum inveniunt. Ad auram si oculos convertimus, tantum abeft, ut æqvo semper fluxu fluctuet, ut partium connexio, nescio quo impetu, qvâ peregrinorum injuria, si non solvatur, tamen sæpè numero violetur. Nunc tempestatibus turbulentis conflictatur, nunc serenitate sua sæpè ad saltus tripudia nostros serenat Spiritus. Terræ communem fragilitatem loqvuntur caduci terræ filii. Qvicqvid enim augustissima hæc mater gignit, alit, sustinet, mutationi tenetur cedere. Lunæ, illius infimi sideris, admiramus nunc partium crescentium, nunc decrementum haud interruptam successionem; Quidni æqvalem, si non majorem, habeant admirationem continuæ terrenarum partium accretiones & diminutiones se invicem excipientes. Etenim lunæ mutatam figuram, eamque semper mutato tempore eandem redeuntem, interpositus terræ situs nostris ita format oculis; Terræ vero mutatae partes ex se ipsis uti pendent, ita se invicem ad sui expellunt interitum. Hinc

D

qvam-

quamvis eadem figurâ eademqve virtute flos flori, arbor  
arbori succedat, prior tamen, partibus suis corruentibus  
inque cinerem abeuntibus, nunquam in pristinam suam  
potest redire unionem, nisi implorata *παλιγγενεσία*, cujus  
tamen veritas affectatâ tantum nititur rei repræsentatio-  
ne. Sicque lunæ subortæ vices terrenâ mutatione multò  
sunt inferiores. Neque id adeò mirum; Etenim terra cum  
superioribus lucidis corporibus collata tantis coarctatur  
angustiis, ut vix puncti partes sustineat. Quemadmodum  
verò punctum tenuitatem sua omnem respuit dimensionem &  
vanitatem est obnoxium; Ita terra mensuræ parti-  
um nescia mutationem suam adauget. Longitudinem  
terræ & profundum terrestrium rerum negat momenta-  
nea felicitas altis radicibus destituta, latitudinem bono-  
rum terræ detrectat raritas, vel sub ipsa fucata Bonorum  
copiâ. Tantum abest, ut inde mutationis exspectes im-  
minutionem vel temperamentum, ut ejus vis se magis at-  
que magis per omnes terræ partes diffundat. Qvantquam  
verò mutatione istâ videntur res de statione sua deturba-  
ri, rerumque inferri confusio, multa tamen inde ad suam  
perveniunt perfectionem, obtenta integritate sibiq; debito  
ordine. Et cum Homo, mirabilis ille *μητρος μόνος*, natu-  
ram circumferat omnium participem, in mutationis qvoq;  
adsciscitur societatem. Hinc corporis & animi nostri  
subinde subnatas observabis inconstantias; Utinam istis  
non multoties abriperemur in vanitatem nostramq; perni-  
ciem! Qvod ut eò exquisitus per vitam omnem decline-  
mus, cautius in posterum acturi, *ingeniorum mutationi*  
explorandæ ultima hæc verba præsenti in loco jamjam fa-  
cienda consecrabimus. Vos itaque, Patroni Magnifici,  
Fautores atque Amici &c., Vos, inquam, quemadmodum  
vestra jam honorifica præsentia, singularem vestrum in  
me favorem estis contestati, ita nec patentes Vestrar aures  
di-

dicenti subtracturos speraverim. O Viri optimi ! facilitas  
vestra, qva me peregrinum de ingeniorum libertate disse-  
rentem exceperis, fiduciam desiderii mei jam accedit. Fa-  
teor eqvidē ingenuē, me rem tantā benevolentiā vestrā in-  
dignam mutatione mea suscepisse, ast vestrā animi magni-  
tudo, uti condonandi gloriam sibi vindicabit, ita nec inge-  
niorum mutationem perlustraturum averso dimittet ani-  
mo. Sublēvate ergo omnes, qvotqvot præsentes submisē  
veneror, benevolentiā vestrā dicentis infirmitatem. Ve-  
strām verò attentionem, o mei discipuli ! mihi officiū vestri  
habenda promittit ratio.

Hominem, A. O. H., intimius investigaturus in-  
qvævis mirabilium profunda, captui nostro inexhausta,  
incidit. Ut nihil dicam de non satis admiranda erecta-  
qvè corporis structurā, unio tantum animæ & corpo-  
ris nostram subeat contemplationem. O qvæ abstru-  
fa mentem in angustias hīc redigunt, ut, qvà pateat recti  
judicii via, subinde nescias ! Vides res duas diversissimas,  
*mentem & corpus*, intimam iniisse coniunctionem. Men-  
tis indolem individuus cogitationum fluxus ab omni  
corpore vindicat immunem, corpus verò semper conco-  
mitans divisionis copia à spirituum abstrahit consortio.  
Qvām verò unionem Tibi hīc imaginaris intercedentem ?  
Sane qvocunqvè te verteris, explicationis te premet diffi-  
cultas. Interim qvò propius hic veritatem accedimus,  
eò melius expeditiusqve naturam mutationis ingenio-  
rum attingimus. Enimverò qvemadmodum qvi Maris  
& feminæ arctiori interest coniunctioni, arcana conjugii  
optimè novit exponere, actionumq; rationem in suas resol-  
vere inclinationes ; ad eum etiam modū exqvistior animæ  
& corporis unionis notitia eò explicatiorem & planiorem  
reddere potest ingeniorum mutationem ; Menti enim &  
corpori, qvanqvam cum communione, hīc suæ debentur

partes. Infert autem ingeniōrum mutatio *sententia ante  
concepta conversionem*. Scilicet uti ingenia intellectus & voluntatis sibi dividunt munia, ita eorum mutatio utramque mentis partem cūm intellectum tūm voluntatem participat. Intellectus, omnis ille cognitionis fons, hīc qvā si se præbet ducem, & primum mutationis futuræ indit motum; Voluntas instar coturnicis, sibi conformem fistulae sonum seqventis, cognita apprehendit, apprehensa sibi applicat, qvanqva subinde voluntatis imperium intellectus & antevertat, & pervertat inquisitionem. Ut verò horologii rotati motus à rotarum temperamento sūam accipit varietatem, ita corporis temperamenti motus in varia studia subinde ingenia inflectit. Nam mentis & corporis ante dicta unio actionum passionumque gignit communionem, quantumvis sēpius cum mentis obseqvio. Nimirum uti in conjugio maritus, nimio uxoris amore flagrans, omnia, juris sui prodigis, in sociæ format obsequium, ita mens nostra ex ardentissimo amore corporis studiis inservit, curâ sui posthabitâ; Hanc ob causam maximam temporis partem consumit, tot labores totque pericula adit. Quid adolescentem, quid juvenem ad studia excitat addiscenda? Corporis cura. Quid Magistrati rerum committit administrationem? Corporis cura. Quid Medici quid Advocati curas fovet? Corporis cura. Agnosces inde mentis tuæ infirmitatem, qva se componit ad corporis subortos imperii motus cum ingeniōrum mutatione. Hinc, temperamento nos commendante sereno, ingenii molesta tristitia abit in tripudiantem lœtitiam, spirituum verò nos infestante obscuritate, lœtitiae voluptati succedunt anxiæ turbæ tristitiae. In lœtitia propitium nostrum nunqva defectura inflammat alacritas; in tristitia ejusdem propositi superveniens langor omnes tandem extingvit residuas flamas. Qvæ conversatio nos

nos delectabat, paulò post vertitur in aversationem; Qvæ promissa animus hilaritate perfusus vel ad sidera extulit, mox subsecuturo torpore correptus in suam resolvit vanitatem. In medium proferamus primum Israelitarum Regem Saulem; Hic Davidi certamen cum Goliatho inituro splendidissimam deferebat promissorum pompam, ast obtentâ victoriâ, aliisque Davidis rebus bene gestis, in dolorem versus verbis suis fidem derogavit omnem. Ad eundem modum Amnon, Davidis filius, Thamaris cupiditate æstuans nescio in qvæ promissa ipsi præstanta effusus est; ast expleto desiderio, temperamentoqvæ deferente, omnis simul decoctus erat amor. Enimvero, tū Tulipa solis fervore se effusè explicat, redeunte verò humido noctis frigore, iterum se contrahit, ita animus, effervescente spirituum tripudio, cujusvis desiderio suam exhibet facilitatem, ast sangvine paulò angustius meante, qvavis verborum factorumqvæ qværit angustias. En ingeniorum ex temperamento fluentem mutationem! Et sane crediderim mutatas temperamenti vices hīc potissimum facere paginam. Unde titillans amoris voluptas, unde iræ perturbatio, unde reliquorum affectuum naturalium motus? nisi ex temperamento; Qvibus rebus effectum est, ut in ipsum appetitum sensibilem Rationem ducem, qvamvis saepius detrectato ductu, derivarit Scholastico-rum turba. Neque minus nostram imperfectionem in varias partes divisa ingeniorum excipit mutatio. Etenim cum nostræ cognitionis nostræqvæ perfectionis mensura per vices sui capiat incrementum, ingeniorum etiam nos subinde oportet subire varietatem. Cygni exclusos pullos advertimus initio subnigros, ast adultiores facti, iustumqvæ proportionis plenitudinem naucti, plumis superbiunt albicantibus; Et bombyx varias prius induit figuræ, qvam alata appareat; qvid vero nos miramur inge-

niorum vices infirmitate laborantes, & conservationem  
in perfectione qvæ situri? Qvò purior, destillatione peracta,  
liqvor fluit, eò plures majoresve expertus est mutationes;  
& qvò sereniora excelsus affectat animus, eò potiora de-  
bet transire mutationis genera. Phosphorum anteqvam  
eliciant Chymicorum filii, in varias formas cogere co-  
guntur urinam; Qvas non ingeniorum vicissitudines puta-  
tis mentis lucem præmittere orituram? Sanè qvo densi-  
ores celo obducuntur nubium tempestates, eo majoribus  
repetitis mutationibus lux indiget affulsura; Jam verò  
mentem nescio qvæ nebularum copia occupat, ut qvo-  
cunqvè Te verteris, eam agnoscas iis circumfusam; huic  
tollendæ qvemadmodum haud facilis patet via, ita nescio  
qvot sententiarum prius litant divortia, qvām lux cogni-  
tionis suo restituatur fulgori. Tanta nunc veritas eru-  
enda premitur obscuritate, tanta constantiæ difficultate!  
Eqvidem in felicissimo integratæ statu tale quid nullum  
invenisset locum, perfectâ cognitionis luce ibi trium-  
fante; Ast postqvam tantâ DEI gratiâ incuriâ suâ exci-  
dit primus homo, non tantum corporis nostri nunc con-  
flictamur corruptione, sed etiam cogitationum destrui-  
mur inter se connexione; Ex qvo nata obscura & dubia in  
varias mentem conjiciunt turbas. Enimvero uti subtili-  
orishorologii Rotarum sibi invicem respondentium mo-  
tum adhærens vel interspersa arena non tantum impedit,  
sed etiam pervertit, ita peccato illata infirmitas præter  
confusum cogitationum fluxum variis mentem infestat  
turbis. Ecquid inde suas firmat radices? ingeniorum mu-  
tatio; Hanc in rem rectè differens Seneca de consolatione  
ad Helviam matrem; Mobilis, inquit, & inquieta mens ho-  
“mini data est, neque se tenet; Spargitur, & cogitationes  
“suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga & quietis  
“impatiens, & novitate rerum lætissima. Qvod non mi-  
rabe-

raberis, si primam ejus originem adspexeris. Non est ex,,  
terreno & gravi concreta corpore, ex illo celesti Spiritu,,  
descendit; celestium autem natura semper in motu est, fu,,  
git & velocissimo cursu agit. A spice sidera mundum il,,  
lustrantia, nullum eorum perstat, labitur assidue & locum,,  
ex loco mutat, qvamvis cum universô vertatur, in con,,  
trium nihilominus ipsi mundo refertur, per omnes si,,  
gnorum partes discurrit, perpetua ejus agitatio & aliun,,  
dè aliò commigratio est. Omnia volvuntur, semper in,,  
transitu sunt, & ut Lex & naturæ necessitas ordinavit, ali,,  
undè aliò deferuntur. Cum per certa annorum spatia,,  
orbes suos explicuerint, iterum ibunt per qvæ venerunt.,,  
I nunc & animum humanum ex iisdem, qvibus Divina,,  
constant, compositū seminibus moleste ferre puta tran,,  
situm ac migrationem &c. Amplius ingeniorum muta,,  
tionem etiam gignit oblatorum varietas. Nam cum de,,  
siderio flagremus plura sciendi & delectemur cognitione  
novi, varietate rerum subinde variamus ingenium, ut tan,,  
tum illud tritum obtineat; Varietas delectat. Tanta hu,,  
jus vis est, ut studia fermè percurrat omnia. Quid merca,,  
tori varias novasqve merces imperat advehendas? ut em,,  
ptorem varietate alliciat, allectum mulciat. Quid farto,,  
ris, quid sutoris curas in tot novitatis studia convertit? ut  
varietate rerum delectando morum etiam introducant  
immutationem. Quid mulieres vulgò in tot variandi a,,  
mictus meditationes subinde abripit? ut varietas delebet;  
Quid consensum in novas sàpè elicit opiniones? Ut va,,  
rietiati indulgeamus. Sic varietatis amor sàpius cum ve,,  
ritatis bonitatisqve jactura est conjunctus. Interim qvem,,  
admodum bonitatis dantur gradus, ita majus bonum à  
minori plerumqve solet avocare animum, ut pariter inge,,  
niorum mutationem hìc liceat advertere. Sic optione ci,,  
borum nobis data, qviante palato arrisit, præsenti melio,,  
ri

ri debet cedere; Sic juvenis, qvibus delectatus est, Scholas tandem commutat cum Academiis, ut melior studiorum locus eruditionem augeat. Etenim cum studia animi intendant perfectionem, qvamvis etiam obtinendæ perfectionis qværunt occasionem. Hinc licet patriæ, licet amicis partem vitæ debeamus, extrâ tamen patriam aliò contendimus nunqvm sàpius reduces facti. Accedit consuetudo loci, qvæ non minimas ingenii mutandis addit vires, ut multoties istâ animus allectus in peregrina deserenda evadat injurius; Hâc qvæ domi sunt leviora, extolluntur, qvæ foris ditiora, minuuntur, hâc qvæ vitium contraxere, excusantur, qvæ bonitatem præ se ferunt, plus justô de prædicantur, hâc qvævis coguntur suam mentiri indolem. Qui consuetudine peccandi ducuntur, qvamvis nonnunquam ad frugem se recipiant, plerumque tamen in pristinam relabuntur viam; paria sanè fata experiuntur loci consuetudine capti. Sint alibi immerita bonitate excepti! ast pristini loci consuetudinem præferunt. Sint inconstantiae rei! ast pristini loci consuetudo maculam vincit, si non delet. Sit subitanea mutatio periculoſa! ast pristini loci amor difficultatis metum enervat. Accipitrem emissum observamus libertatis qvidem avidissimum, ast ad aucupis pugnum in priora vincula ultrò redeuntem; Ecqvid aliud hîc qvàm vis consuetudinis obtinet? & tamen idem nobis evenit; Meliorum in animis nostris semper existunt cupiditates, & tamen ea alibi obtenta nonnunquam mutamus cum repetita pristini loci consuetudine. Scilicet ut viscus aviculis semel in se illapsis difficultem elabendi aperit viam, sic qvos semel cepit amoenitas loci, ejus trahendi vim in se sensu circumferunt maximo: Adeò consuetudo, juxta tritum illud verbum, est quasi altera Natura & cum ingeniorum mutatione conjuncta. Ceterum qvemadmodum celi tempestatis mutatio rerum inferiorum promo-

movendæ consulit saluti, ita nec ingeniorum mutationem  
semper in vanitatem abitura deprimit molestia: Etenim  
ut celi tempestates impuram discutiunt auræ colluviem,  
sic ingeniorum rectè adhibita mutatione sèpius pver-  
sa in rectitudinem rediguntur. Et qvidem, qvæ no-  
stram antè sibi fiduciam promisere nunqvàm defutu-  
ram, hic ad Lydium revocantur lapidem cum judicii qva-  
dam suspensione; hinc apertus locus relinqvitur dubita-  
tioni. Et qvanqvàm cum Cartesio omnium dubitati-  
onem haud approbemus, multa tamen in dubiorum cen-  
sum esse revocanda, ingenuè fatemur. Nam cum intimè  
sæpè angustiam intellectus nostri fugiat rerum apprehen-  
sio, ancipites dubiorum augentur turbæ. Qvi orificii cu-  
jusdam vasis angustiam liqvorum effusâ onerant copiâ,  
varias nunc affluentum nunc reffluentum particularum  
excitant turbas, qvidnî varia rerum affluentia intellectum  
nostrum ita confundat, ut judicii subinde sufflaminet cen-  
suram. Et qvô major est animus, eò majorem invenit  
dubitandi rationem. Docti ideo vulgum dubitando su-  
perant, qvod remotiora prospiciant singulorum difficultatibus ponderatis, à qvibus tamen multitudo terrenis in-  
tentâ abhorrente amat. Ex qvô absoluta in omnibus absq;  
omni dubitationis momento veritatis persvasio plerumq;  
falsi incurrit suspicionem, nosqvè aut Angelis aut bestiis  
similes reddit. Qvô tamen plura Tibi subnascuntur du-  
bia, eò ampliorem ingeniorum mutationi concedis lo-  
cum. Ecqvid inde suo excidit patrocinio? falsitatis er-  
ror. Nam sic scrutinio abdita rerum studiosè exqvirun-  
tur, exqvisita excutiuntur, excussa applicantur. Et pro-  
fecto qvos errore vel vitæ vel doctrinæ implicitos dubia  
tandem eventus prosperitas & falsæ persuationis suspicio  
incipit discruciare, non multum absunt à spe emendatio-  
nis. Qvi viæ errore sunt abrepti, qvoad persuatione rectæ

E

ducun-

ducuntur, præsentem seqvuntur, ut primum verò dubiæ  
obvia fiunt indicia, tantum abest, ut gradum accelerent,  
ut suspendant rectam repetituri; Haud absimili sanè ratio-  
ne vestigia malorum prementes ad saniorem mentem re-  
deunt de justitia facti dubii facti: Hinc Scortatores, otiosi  
& id genus alii, ad diuturnæ felicitatis dubitationem reda-  
cti plerumqve ineunt corrigendi consilium & negligentiâ  
ferè diffluens eô fervore tandem animum ad studia appell-  
lit, ut prætermissa diligentia revocare allaboret. Tanta  
virtus dubitandi comitur fluctus! Ast qvid dubitatio  
nisi tenacis antè propositi sufflamen? Horum intuitu Me-  
dicorum Antistites in imaginationibus curandis id pri-  
mum agunt, ut ægrotum dubium reddant, quo maxi-  
mam Medicinæ partem aggrediuntur. Amplius inge-  
niorum mutatio multum inservit Veritatis Patrocinio;  
Nam pertinaciam infringit & debilitat: Ast quantum hoc  
beneficium! Qvos Sapientiæ aditus occludit pertina-  
cia, hîc aperiuntur, qvos sensus à Veritatis monitis aver-  
tit pertinacia, hîc dicto evadunt obedientes, qvæ erroris  
pallia fuere objecta, hîc amoventur, & qvos erroris fastus  
meditata est pertinacia, in primâ qvafsi, ut ajunt, herba hîc  
supprimuntur. Sic Veritati liberæ patent aures circumspi-  
cientes; Sic rerum copia ad lucidam intellectum evehit  
perfectionem. Scilicet ut aratu facile, ast pingue solum,  
qvodvis receptum semen bonum cum fertilitate reddit, i-  
ta prudens ingeniorum facilitas Veritatis semen non re-  
cusat, sed consensu tranquillo ejus fructum non solum in  
Sui, verum etiam in aliorum lucem redundantem experi-  
tur. In insulis Antillis certum muscarum genus noctu a-  
nimadvertisit lucidum, adeò ut instar candelæ lucem præ-  
ferant noctu obambulibus incolis; Haud erraverim  
idem ad optimè susceptam ingeniorum mutationem  
translaturus; Hæc, nebulis pertinaciæ discussis, luce men-  
tem

tem illustrat sereniore, hæc aliis ignorantiae tenebris ad-  
huc circumfusis, vel persvazione perfectionis suæ occæca-  
tis, lucem ad saniora accedit; Si qvæ interea vanitatis of-  
ficiæ menti nitantur officere, rerum suarum secura, qvæ-  
cunqve sunt obstacula, è medio tollere annititur. Fluvii  
cujusdam Americani in Gvatimala fluxum diurnum pe-  
regrinantes admirantur subtractum, ast nocturnum rede-  
undo fluctibus æstuante. Hoc qvamvis sui abstru-  
sam tegat rationem, non tamen hic Sui detrectat o-  
mnem usum. Nam prudentem ingeniorum mutationem  
haud obscurè adumbrat: Hæc fulgidissimis lu-  
cis radiis corusca, qvæ Veritatem redolent, placido vel  
citra alterius intervenientem sensum amplectitur sensu,  
ast, obducturis Mentem nubibus, ad instar lucis in ce-  
lerrimum vertitur motum, malum vel propulsatura vel  
eius larvam detractura. Qyanqvam verò variæ nos  
premunt imbecillitates, ut plurima intellectum nostrum  
fugiant, & in plerisqvæ hæsitantia perfectionis fiduci-  
am confundat, non tamen omnem desperare Sapientiam  
nos permittit mutatio. Enimverò qvemadmo-  
dum à parvitate in primis annis tot mutationes tandem  
Corpus in magnitudinem evehunt, ita tantum abest, ut  
tot sententiarum inter se connexæ successiones sibi hæsi-  
tantiam colligant, ut in veritatis intimum perveniant tan-  
dem conclave, in varia sibi connexa divisum. Et utinam tot  
terminorum litigiis nuncium mitteremus, fortasse felici-  
ori Veritas triumfaret victoriâ; Ast his litamus, ut laureolâ  
in mustaceô qvæ fituri lingvæ vel crenæ expeditam obti-  
neamus facilitatem. Ceterum in Theologicis, qui pie-  
tatis studio totum applicant animum, antè nuda contem-  
platione contenti, non infimam mutationis merentur  
laudem. Etenim cum omnis contemplationis gloria in  
officii conformatio[n]e consistat, (alias vel ipse diabolus

scientiæ ferret palmam) non in minimâ laude sunt, qvi cognitio-  
nis curas in sanctū pietatis transferunt exercitium;  
Horum submissa pectora demum vero DEI ardent amo-  
re & apud DEUM vitæ æternæ gratiam ineunt. Sed ver-  
ba h̄c prolixiora detrectat cum clara rei perspicientia,  
tum angusta instituti mei Ratio; Neque per tot utilitatis  
partes sparsam ingeniorum mutationem unius horæ ca-  
pit angustia. Sufficiat nobis bonorum electorum retinuisse  
constantiam. O si hujs cura nobis incumbet potissima!  
Qvanta felicitatis nos exciperet gloria! Omnis Vir-  
tutis Corona nequitur & nœxa imponitur à constantiâ. Ab  
hâc plena pendet propositi æstimatio & extrema Virtutis  
operi accedit manus. Cuncta bonitatem mentiuntur, qvæ  
deserit constantia. Hæc rebus addit pondus valorem in  
judico divino allaturum, ut eo destituti in ruborem dentur,  
qvocunqve aliàs Virtutis splendore aliis præludentes. Hoc  
Salvator noster meritissimus expressurus; Qvi ad finem  
vitæ, inquit, perseveraverit, salvabitur, hâcqve abs condi-  
tione omnes vitæ æternæ suspenduntur promissiones.  
Nam perfectionis veræ conscio intrandi regnum celorum  
demum conceditur copia. Ast qvid perfectius rebus con-  
stantiâ valentibus? Hinc ut omnibus numeris suis absolu-  
ta perfectione prædicti nihil in querelæ vel excusationis sub-  
fidium post lapsum assumere qvirent primi nostri generis  
parentes, constanti etiam corporis integritate non per vi-  
ces accretura à summo rerum Creatore sunt conditi. Ita  
que cujus propositi mutatio in continuos bonorum fertur  
profectus, mutationis suæ citra pœnitentiam uberrimas  
capit voluptates. Verum enim verò uti omne jam  
bonum cum mali conflictatur societate, ita nec ingeniorum  
mutationem omnem æqua censura potest dimittere.  
Sunt, qvi dubiis ingeniorum omni ferè temporis momen-  
to jactantur fluctibus; Hos uti constantiæ cepit oblivio,  
ita

ita ingeniorum mutationem in vanum trahunt abusum. Mores ad vertu-  
nini componunt imitationem; Verborum fluxum instar Maris Euripi ada-  
mant reciprocum, ut vel quāvis horā mutata figura sonum Tibi formet  
contrarium. In factis animi mobilitate certant cum illo nobili singulis die-  
bus sceleris noctū cum scortis admissi pœnitentiam agente, ast ad pristi-  
nam malitiam singulis noctibus redeunte; Qvas vires animosē antē jactā-  
runt, in principio operis remittunt solliciti de fugā; Qyam cordis fiduciam  
conceperunt, in leporis vertunt trepidationem. Adeò, cui inconstantia in-  
sedit langvor, animus sui immemor ambiguos seqvitur viarum flexus, &  
rerum gerendarum anticipat victoram nunquam futuram. Ast qvemad-  
modum corporis situbantis infirmitas est maxima, sic summam ingenio-  
rum imbecillitatem arguit inconstantia. Enimverò dum animus h̄c disso-  
lutes fluctuat, maxima vitæ pars elabitur nihil agendo, ut tota calamitatis  
sibi colligat copiam. Antē peracta hic revocantur, præsentia cunctando  
elabuntur, futura bona declinantur, mala accelerantur, ut in pernicem  
nostram convertantur. Vano igitur nihilo dubii inconstantium litant cona-  
tus, & utinam omnes nihilum æqvarent, fortassis melior fortunæ spes ipsis  
affulgeret. Ast, dum opinionis errore sibi fingunt actionis aliquam Veri-  
tatem, nihil agentibus ferè evadunt pejores. Contemplemur in studiorum  
genere omni ignavie mancipatum & dubio studio literas tractantem; Ille  
sanè, abjectâ prorsus studiorum ratione, hunc melioris vitæ vincit condi-  
tione. Nam ignavus, vel cui non respondet discendi ingenium, vel Paren-  
tum consilio, vel aliorum fvasu, vel etiam propriâ salutis curâ ductus ad sa-  
niora tandem, aliis studiis se applicando, redit, ast remissori a n c i p i t i q ; curâ  
literis incumbens atatem sub studiorū nomine consumit, ut atate tandem  
proiectus inscitiae sue deplorandam luat pœnam. Sic inconstantia sui apud  
bonos incurrit vituperium. Reperiuntur etiam, qui quācunq; ducantur op-  
pinione, ingeniorum aversantur mutationem. Hi amore sui, Antiquitatis, vel  
alterius autoritatis excæcati malunt in Veritatis quām in sententiæ jacturam  
consentire. Nempe ut tinea vestimentis semel implicita ægrè se excuti pati-  
tur, sic opinionis pertinacia ad sui stabilimentum omnem movet lapidem,  
interim Vestis & Veritatis vix resacienda absumitur integritas. Sed am-  
pliori horum tractatione me jam super sedere jubet, cum temporis tum  
Vestræ etiam A. O. H. auctoritatis habenda ratio. Abrupto itaqve filo in-  
stituti mei partes jam explebo omnibus cum gratiarum actione valedictu-  
rus. Nempe cum mirabili DEI providentia præter omnem expectatio-  
nem ab Ampliss. Senatu Rostochiensi ad ibidem demandatum Rectoris

munus subeundum sim revocatus, nolui huic tractui me diutius subtrahere  
jamjam Rostochium profecturus. Itaque ante discessum grati hospitis  
munere defuncturus in omnium laudes in præsenti descendam. Et cum,  
qvæcunq; aguntur, benignæ Voluntati divinæ sint grata acceptaque re-  
ferenda, ante omnia me convertam ad DEUM Creatorem & Redempto-  
rem meum. O Pater Domini nostri JESU Christi & omnis misericordia,  
Tua infinita gratia me miserum fixit, Tua providentia conservatum jam  
aliò abire jubet, Tuæ misericordiaæ inexhaustus fons tot Conversionis ri-  
vos in me derivavit. Obstupescit anima ad tām profundam contemplatio-  
nem. Tibi jam laudis, gratiarum actionis, & gloriæ acerram incendo. No-  
men Domini sit benedictum in secula nunquam terminanda AMEN. Jam  
in Vos, VIRI Magnifici, qvos Scholarcharum venerabilis condecorat titu-  
lus, & corporis & mentis oculos conjicio. O Patroni optimi, qvos inter  
felicitatis meæ primæ Autorem *Magnif. Dn. Charisium* meritò compello,  
Vestra in me benevolentia hactenus visa fuit excedere dignitatis meæ men-  
suram: Ultimam eā amplius hīc frui licuisset! Ast culpam in me transferen-  
dam fata excipiunt, exceptam minuunt. Eqvidem animus mutandi à me  
vos accedente prorsus fuit alienus, ast qid non tempora mutant? Et  
qvanq; me hīc foverunt omni voto respondentia tempora, confuetu-  
do tamen loci pristini animo imperantem svasit mutationem: Sed qid  
multa? Vel ipse pudor benevolentiae vestræ prolixiorum subterfugit enar-  
rationem. Interim Vestra facilitas, Patroni Magnifici, Gymnasii hujus  
Antistites meritissimi, Cor meum sibi vindicavit ad splendidissimi Veitri  
Nominis venerationem, lingvam solvit in effusam beneficiorum vestro-  
rum deprædicationem, memoriam occupavit in perpetuam officii alacri-  
tatem. O Viri Excellentissimi! Servet vos DEUS suā gratiā, ne excidatis  
felicitatis constantiā, servet Virium vigorem, ne laboribus succumbatis,  
Servet providam vestram hujus Gymnasii Curam, ut in majorem subinde  
exrescat celebritatem. Patricis, absit rebus Vestris infusa fortunæ mu-  
tatio. Proximas jam animi gratiæ partes Magnifico hujus Reipubl. Senatus  
debeo. Vobis *Viri Nobili prosapiā conspicui, Magnifica Autoritate reve-*  
*rendi, Consiliis Validissimi, prudentissimi, Vobis, inqvam, uti Salutis meæ*  
*benignissima fuit Cura, ita summas, qvas mente possum concipere, refero*  
*gratias. Vos peregrino honorificum tām illustri loco attribuistis locum,*  
*Vestra Munificentia soluto didactro expectantē prævenit, Vestra integritas*  
*fidem tenuitati meæ præstítit certissimam; Hæc beneficiorum affluentia,*  
*qvanq; ad officii demandati constantiam me abundè invitavit, ingenii*  
*tamen*

tamen nunc compensatur mutatione. Egregiam sanè rem scilicet! Ast e-  
rubesco plura loqui: Vestra benignitas jamjam abitum videtur con-  
fundere. Sed quò nos non fata trahunt retrahuntque! Qvanq;am jam i-  
pse tantam Vestram benevolentiam video violasse, ulteriore indignus, &  
verbis auribus Vestris præsentibus molestus, major tamen, qvi in Excellen-  
tiis Vestris est, animus suā condonandi facilitate uberiorem laudis vestræ  
dabit copiam. Scilicet qvemadmodum lucis fulgor sine Sui aucturā & a-  
deuntem & redeuntem illustrat, ita lucem benevolentiae, qvā accedentem  
Vestrū hospitem excepistis, abeunti etiam affulsuram deprædicanda Ve-  
stra pollicetur constantia. Ego interim lumen Vestrū nunq;am absor-  
bebo Vestri nominis perpetuus futurus Cultor & salutis Vestræ precibus in-  
vigilaturus. O Patroni Summi, sentiant vires vestræ vireſcentem firmita-  
tem nonnisi post seros annos cum Patribus cessaturam. Ex crescet Vestra  
familia in majorem felicitatis splendorem, redundet ex Vestra Reipubl.  
curā in Ecclesiam constans Cultus divini ordo, in Gymnasium hoc studi-  
orum vigor, in Cives pacis felicitas; Verbo, Vivatis cum Civibus Vestris  
ab omni prosperitatis mutatione remoti. Hōc pietatis munere defunctus  
jam Vos accedo, VIRI admodum Reverendi, Amplissimi atq;e Clarissimi  
Verbi Divini Ministri meritissimi, Et qvemadmodum Vestram jam hono-  
rificam præsentiam, Vestramq; in me benevolā propensionem gratā Men-  
te agnosco, ita Vestræ Salutis diu duraturum augmentum toto animo ap-  
precior. Rigitur Vestræ Salutis aqvā ex Israēlis fontibus haustā Ecclesia, ut  
neqvitjæ fontes obſtruantur, paſcatur ſalutari cibo, ut terrefrīum famē  
minuatur, proficiat ſub Vobis viribus fidei & amoris, ut hostes conficiat.  
Jam Te, Vir Excellens, Rector Gymnasii hujus longē celeberrime,  
compello. Laudes ſufficientes meritorum tuorum ſuperat amplitudo.  
Admirator haec tenus fui multiplicis tua doctrinæ, Veneror tantum in-  
genii Tui acumen, delectatus ſum singulari humanitate & dexteritate  
Tua, fruitus ſum Tuæ Mensæ ſocietate; Hæc uti publicè jam inge-  
niū profitcor, ita ſemper extollam; Et profecto horum conſideratio ita  
ſæpè in me certavit cum proposito abeundi, ut ſæpius oblato Novo Mu-  
neri nuncium mittere cogitaverim. Ast amor Conſvetudinis pristinæ  
in Academiā tandem viceit. Sic jam, Vir Clariss. Collega desideratiſ-  
ſime, diſjungimur, qvos antè Patrii ſangvinis amor conjuxit, ſic laboris  
vinculum ſolvitur nunq;am ita coituruſ; Ast qvos locorum intervallum  
diſſociat, animorum præſentia adhuc ſolatur, Sim Ego corpore diſceſſi-  
rus, ast animus ſemper præſens erit, ſim mutati loci reus, ast mutati animi  
notam nunq;am incurram. Et qvemadmodum pro beneficiis Tuis,

reli-

reliquis bonis destitutus, debitās jam ago gratias, ita eorum memoriam absens etiam omni temporis momento recolam, occasionem Tibi inserviendo semper quæsiturus. O Vir optime! Vive in DEI gloriam diu superstes in his terris futurus; Vive fidum *Decus Patriæ*, summā fidei perfusus tranquillitate, Vive unā cum totā Tua splendida familiā ab omni malo remotus. Vobis vero, qvos itidem honorato Collegarum nomine veneror, vobis inquam, O VIRI optimi, angusto ore, aſt affectu prolixissimo, gratias decerno maximas pro omni Vestro amore, quo me prosecuti estis. O Collegæ desideratissimi, quantam ex Vestra Conversatione cepi voluptatem! Et tamen jam locorum intervallo distrahitur. O rem ingratam! Aſt Vestra imago oculis meis semper obversabitur. Suffulcat interim Bonus DEUS Vestras animi & corporis Vires, ne impares sint concatenatis laboribus Scholasticis; Largiatur patientiam molestiis perferendis, adjiciat rei familiaris amplificationem, prolonget vitam vestram in seros annos. Ut verbo voveam; Pax Domini Nostri JESU Christi undique cingat Vestra pectora, Sic nullum metuendum malum. Tandem & ad Vos, O Mei discipuli, dirigo oculos. Laudo Vestram observantiam, delectatus fui Vestra modestia, testis sum diligentiae, cui plerique vestrum litarunt. Sic amorem meum in vos accendiſtis, sic officii mei curam sublevastiſtis. O delicia mea! in quantis deliciis meis fuit Vobiscum Praeceptoris more conversari; Et quamvis inceptam officii telam vobiscum pertexere æquum fuisset, alia tamen ratio muravit animum. Sic jam partes meas vel invitus deferere cogor, ſic alio vocatus à vestro amore abstrahor; Aſt quid dixi? Tantum abeft, ut Amorem Vestrum deponam, ut absens Salutis Vestrae curam apud DEum precibus supplicibus ſim continuaturus de pari in me pietate vestra minimè ſollicitus. Ceterumabituriens cum Socrate vos admoneo, inſpiciatis quotidie ſpeculum, ut mores vestros diſcatis accommodare ad habitum cordis; Inventa enim ſunt ſpecula, diſferente Seneca, ut juvenis etiam flore ætatis admoneretur illud tempus eſſe diſcendi & fortia audendi. O mea pectora! nolite diſidia petulantia quæ vos mancipare; jam flos ætatis in maturitatemabiturus curam postulat; Nolite ſpem Pareſitum, Ecclesiæ, Reipublicæ, fallere, ne prosperitatis ſpes vos adultiores factos confundat. O Benignissime DEUS! Tibi hos meos diſcipulos commando, effunde ſuper eos Tuam gratiam, ut Sapientia proficiant gloriæ Tuæ inſervituri; Conſice ex ipsis vasa misericordia Tuæ, ut ab omnibus malis immunes vitam tranqullam omnibus uſui futuram. Et ſic Valete omnes & singuli & favete Vestroabiturienti

D I X I.

# A. Ω.

VIRI Magnifici, Reipubl. Scholæq; Rostochiensis Antistites meritissimi, ut & VIRI Clarissimi,  
qvorum informationi juventus Rostochiensis est tradita, Pa-  
tronii Summi, Collegæ Honoratiss., Fautores  
optimi, &c.



Erba vobis præsentibus facturus in-  
cidi in Virum alioquin haud obscuro  
genere satum, qvī ad honores eve-  
ctus, cum rei familiaris ex suspensâ  
curâ detrimentum sentiret, pinxit  
vineam, multis lauris distinctam,  
unde quidem ornatus, ast parum  
commodi, impeditis Solis radiis, vi-  
neæ accederet, addito *lemmate*; *Ornant sed impediunt*. Vi-  
dit Vir ille prudentissimus, honores, cum ab alio pende-  
ant, in illius curam, rebus suis maximam partem postha-  
bitis, animum deducere; Hic si parumper suspenso gradu  
circumspicimus, in literatura haud absimilem reperimus  
rationem; Vides ibi rebus sua esse imposita vocabula tan-  
quam variis articulis distincta animi signa. Qvanquam  
verò h̄ic in primâ hominum impositione, apertâq; signifi-  
catione acqvescendum esset, novitatis tamen amor ne-  
scio qvem s̄æpius peregrinorum terminorum fœtum in  
lucem edit. Eqvidem rebus crescentibus iisq; sub novâ for-  
mâ prodeuntibus, omnino vocabulorū novitati qvid dan-  
dum est, ne distituti signo ipsius rei memoriâ excidamus,  
ast sub abstruso novi termini sensu latitare, est novum or-  
natum rei impedimento accersere, ut verè istud obtineat:  
*Ornant sed impediunt*. Enim verò cum simplex veritatis  
indoles simplicem, dixerim omnibus perspicuum, sibi vin-  
dicet

F

dicit stylum, terminorum recens fictus recessus veritatis  
subinde infert recessum. Hinc qvemadmodum distin-  
ctionum minutiae scientiarum, stylo Verulamii, frangunt  
robur, ita verborum excogitata novitas sæpius nimia suâ  
subtilitate rerum infringit pondera. O si tantum termi-  
norum novorum studium in Scientiæ studia nunquam in-  
volâisset, vel melioris ampliorisvè rerum notitiæ gloriâ  
nostra triumpharet perfectio, ast dum tantum temporis in  
nova philosophiæ vocabula insimimus addiscenda, rerum  
ipsarum vix compensanda augetur incuria. Absit ta-  
men, ut in usum hodiè receptum hisce evadam injurius.  
Interim qvò propius terminus qvidam novus ipsam rei  
exprimit naturam, eò major ipsius gratia usurpantium  
occupat animos. Ut jam sicco pede præteream alios,  
*Rationem status* contemplationi nostræ subjiciamus. No-  
men, qvanquam ab Italis primò adhibitum & Rerum-  
publicarum arcanis applicatum novitatem qvandam re-  
dolet, tantum tamen abest, ut in ipsis incunabula inveniat,  
ut ea qværat in historiarum Taciti monumentis. Audi-  
“amus ipsum Autorem ; Ceterum, inqvientem, anteqvàm,,  
“destinata componam, repetendum videtur, qvalis *status*,  
“urbis, qvæ Mens exercituum, qvis habitus provinciarum,,  
“qvid in toto terrarum orbe validum, qvid ægrum fuerit,,  
“ut non modò casus eventusq; rerum, qvi plerumqye for-,,  
“tuiti sunt, sed *Ratio* etiam causæqvè noscantur. Ast sit  
*Rationis status* origo dubia ! rei tamen usus est certissimus,  
utilissimus, sit nova ! ast rem accepimus antiquissimam,  
firmissimam. Et cum hominis status jam omnium com-  
munionem ambiat & ineat , *Ingeniorum* etiam *Rationem*  
status ex actionibus obviis elicit circumspecta *Ratio*. Ita-  
que ut omnium cautam *Rationem* ad *Rationis* incedem  
accuratius revocemus, pertractatâ jam Stalsundi libertate  
& mutatione *ingeniorum*, *Rationem status ingeniorum in*  
*Scien-*

*Scientiis brevissimis* jam sumus perlustraturi; Ne vero in star navis, adversis ventis reflantibus, à portu recessentis prosperitate exitiis excidam, Vestram, Viri Magnif., imploro benevolentiam. O VIRI optimi, Vestra facilitas, quā in me accedit, fiduciam attentionis benignæqvē interpretationis Vestræ, non frustrabitur; Neque minus favete & vos, qvos amico Collegarum nomine veneror, *Rationem statutus ingeniorum* in Scientiis exposituro; Verbo favete omnes & singuli, qvotqvt præsentia sua benevolam in me propensionem sunt contestati.

Ille Cardinalis Richilieu, A. O. H., apud Gramondum haud interruptam Principis expressurus vigilantiam his utitur labiis; *In statu Politico non progredi, regredi est.* Nam cum tot statuum inter se connexio in suam facile possit incidere solutionem, cura integratatis tuendæ Principis, vel VIRI Reipublicæ præfecti, individuas auget curas. Nos si *Rationem Status* paulò intimius pensitemus, non multum à Ratione deflectemus, idem, qvamvis non-nihil mutatum, de *Ratione statutus* dicturi; In *Ratione statutus non progredi, regredi est.* Etenim dum varia casu oblata rerum subinde solent turbare nexum cum fortunæ mutatione, *non progredi est regredi*, dixerim rerum langorem contrahere. Interim qvanqvām Universi, qvotqvt terrarum orbis sustinet, suā ducuntur *Ratione statutus, Rationem* tamen *status ingeniorum in Scientiis* non omnes capiunt. Nam qvermadmodum *conformatatem* hæc sibi vindicat *cum statu singulorum scitorum*, ita profundam Sui studioso imperat meditationem & circumspicientiam. Ast qvot non in Virium suarum hic convertuntur qverelam? Qvos doctrinā, qvos exercitatio destituit, qvantus non eorum est numerus? Profecto uti non cuivis licet adire Corinthum, ita nec in Scientiis *Ratio statutus Ingeniorum* Sui cuivis facit copiam. In judæorum templo, Eberhardo

de Weihe testante, speculum coram Sacerdotibus erat pos-  
sum, ad quod omnes gestus componerent, quoties sacra  
administrabant. Ast quid Sacerdotes? electus & reliquis  
numerò multò inferior Virorum Cœtus, & tamen hujus  
folius oculis istud speculum patebat; Equidem reliquis  
judæis sua etiam erant specula, imaginem reflectentia;  
Ast Sacerdotum speculum ipsorum obtutui denegabat  
religio. Et quæso quid aliud imitatur quam hoc Sacer-  
dotum speculum *Ratio status in Scientiis*? Hæc altiora tan-  
tum in cognitione affectantibus liberum concedit aditum  
& intuitum, hæc ipsorum mores in amicam cognitorum  
format conjunctionem. Quemadmodum v. speculum i-  
stud Sacerdotum nullo bonorum malorumque habitō di-  
scrimine repræsentando suum faciebat officium, ita boni  
malique *Rationis status in Scientiis* sibi dividunt munia.  
Nam scientiæ facies neque boni neque mali subterfugit  
aspectum, sed utrique se præbet facilem. Solem cernimus  
æquo radiorum fluxu contingere ceræ & luti præsentiam,  
album & nigrum colorem, sic Scientia cum sua Ratio-  
ne status tum in bono tum malo invenit locum. Ast quem-  
admodum cera Solem excipit ad varios sui flexus, lutum  
verò ad Sui duritiem, & albus calor lumen reflectendo, ni-  
ger verò absorbendo, ad eum etiam modum boni accep-  
tam Scientiam vertunt in virtutis splendorem, mali v.,  
omni lumine absorpto, in maiores inde degenerant aëcio-  
num vitæ tenebras. Agnosces inde Scientiæ in perversis  
perversitatem, in Bonis meliorem bonitatem, ast cum sua  
interveniente *Ratione status*. In utroq; enim dum Scientia  
sui quærit conservationem, quicquid invenit, in semel con-  
ceptum principium resolvit. Ceterum Rationem hanc  
status cauta in omnibus comitatur circumspicientia. O  
quot flexus hic Scientiæ addiscendæ saepius applicantur?  
quot rationes indiscendæ cognitionis ingenia ineunt?

Sane

Sanè ubi cursus parum valet, flexui res committitur.  
Qvotusqvisqve non, aliâ viâ minimè securus, obliqvè interroga-  
ndo Scientiam tandem invenit? Nempe ut Israe-  
litæ ex Ægypto Palæstinam petituri per varios viarum fle-  
xus demum eò pervenerunt, & Nathan Propheta obliqvo  
proposito exemplo tandem Davidis eliciebat sententiam  
in eum retorqvendam, ita Scientia ad Sui inventionem va-  
riâ qvæstionum obliqvitate indiget præmittendâ. Nam  
dum plures Scientiæ fovent mysteria non cuvis revelan-  
da, vix aliâ ad Communicationem possunt adduci, qvâm  
obliqvâ qvæstionum viâ. Hæc sæpius ipsorum lingvam  
præcipitat ad desiderii Tui gratiam, hæc vel ex tribus i-  
psorum verbis, reliqvis qvamvis abruptis, ad ulteriora si-  
bi aperit aditum. Cum enim Mentem circumferamus  
sagacissimam, ex uno invento vestigio in varias deferi-  
mus conclusiones lucem nobis fœneraturas. Qvocircâ,  
qvi amore Scientiæ ducuntur, tot suscipiunt peregrinati-  
ones, ut ex colloqvio Virorum doctorum intimorem in-  
terrogando explicantur Veritatem. Qvod perceptionem  
hic juvat, obliqva audit observatio. Nam interrogati-  
ones sine observatione parum vel nihil utilitatis in Scien-  
tiā conferunt; Neqve desiderio tuo semper respondent,  
neqve omni Scientiæ amplitudini sufficiunt interrogatio-  
nes; Ne itaqve in Scientiæ hiatum incidas, multa obliqvè  
observanda veniunt. Phengitem lapidem translucen-  
tem accepimus Domitiano qvondam inserviisse distin-  
gvendis parietibus, ut ex ejus splendore per imagines,  
qvicqvid à tergo fieret, provideret. Mirum sanè artifi-  
ciū, qvo periculi metum minuit crudelis ille imperator.  
Ast qvid miraris? Idem Tibi præstat obliqva observatio.  
Qvæ primâ fronte notitiam nostram declinant, à tergō hâc  
capiuntur, qvæ inter mysteria pectoris referuntur, hâc  
sæpius eruuntur. Et profectò qvemadmodum obliqvi

oculorum radii plura videntur circumspiciendo capere, qvām recti, ita,  
qvæ rectam fugiunt, obliquā observatione in Scientiæ augmentum capiuntur. Hāc Scientiæ fraude ille organista alterum mirabili pulsandi novitate  
præstantem, ast invidum, ita sefellit, ut, qvamvis illius ope pōst adjutus,  
ad summam pervenerit notitiam; Quidnī sublimiorum Scientiarum desiderio  
ducti eandem hāc arte sibi promittant facilitatem? O qvot viris sic  
ad Scientiam optatus patuit aditus! Et qvamvis non statim desiderio no-  
stro res ipse respondeant, sufficiat interim obliqua optimorum Autorum  
Cognitio. Quantum hoc Scientiæ adferat adjumentum, loquantur experti.  
Etenim, cum nihil jam dicatur, cuius non antè extent vestigia, magna  
eruditionis pars in librorum consistit notitiā. O felicem, qvi hīc in optimos  
qvosqe incidit! Ast qvām difficilis hīc səpius aperitur via? Multos Au-  
tores deſtituit obtinendi copia, multos ignoratio, multos Doctorum ob-  
ſcondit invidia. Qvæ hīc consiliī copia, qvæ prudentia? Optima vide-  
tur via obliqua, qvæ Doctorum de hōc vel iſto libro ambimus judicium & i-  
psorum libros vel per alios vel obliquā accessū exploramus uſu familiares.  
Arcanā viā ad Scientiā incedunt Theologi jurisprudentiæ & Medicinæ ani-  
mum, interjecto studi Theologici intervallo, applicantes; Horum ſanē cura,  
futurorum provida, peculiari gaudet Ratione status. Nempe, cum Ecclesiis,  
qvæ oppidis vel agris colliguntur, poſſint aliquando præfici, hāc etiam sə-  
pius ſtudia tractant, ut ægrotos medicinā, lites verò ſubortas juris conſi-  
lio ſublevare liceat. Tām circumſpectā Ratione status ingenia utuntur  
Scientiam ſibi comparatura; Non minorem adhibent in Scientiæ poſſeſſi-  
one. O quantum hīc ſəpius Scientiæ silentium? Qvām arcane hīc multa  
delectant animum? Qvanta communicandi diſcultas? Neque id adeo  
mirum; Nam, qvæ multo ſcrutinio, longā induſtriā, magnis ſumptibus ad  
noſtrā pervenere Scientiam, merito aliorum notiſiæ ſubtrahit prudentia.  
Notum qvidem vulgare iſtud eſt;

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter;  
Ast verius ſubinde alterum obtinet: Si ſciat hoc alter, ſcire Tuum nihil eſt. E-  
nimverò, qvoad intimiora inventi alicujus fundamenta tantum mihi vindico,  
gratiā & pretium invenio, ast qvamprimum aliis innotescunt, ipsius rei  
expirat cum pretio gratia & facilitatis Tuæ admiratio; jam vero commo-  
di proprii, ast citra alterius injuriā, ſemper habenda eſt Ratio; Nam A-  
mor noſtri ubique Amore proximi superior evadit; Et ſanē qvemadmo-  
dum Livia à Salustio Consultum eſt; Ne arcana domus Confiliavē Amico-  
rum vulgarentur, ita cuique proprii commodi prudentia non omnem Sci-  
entiæ ſvadet explicationem; Qvocirca qvævis Scientia, qvamvis in alte-  
rius

rius etiam migret informationem, in Magistrō tamen sua foyet arcana, ut semper peculiaris consilii copia suppetat. Adhac reperiuntur, qvorum communicatio cum vita propriæ periculo vel alterius commodi jactura inire solet Societatem. Ecqvid Fabro illi Vitri ducilis conciliavit interitum? Improvida artis coram Tiberio confessio. Ecqvid lapide Philosophorum gaudentibus tot vitæ insidias paravit? Scientiæ confessio. O si Ratio status hic præsidem egisset, silentii fides vitam præstisset tutam! Interim, ne nobis solis Scientiæ nostræ nati videamur, omnino etiam in aliorum notitiam qvid derivare nos oportet. Ast En novam hic Rationem status? Nunc fundamentum rei quasi aliud agendo manifestatur, ut scrutinio Tuo ulterior concedatur locus, nunc scientia nostra obliquè oppnendo alterius oppugnat Scientiam, nunc argutè à Statu controversiæ abeundo Respondentis vel qvarimus angustias, vel nostræ angustiæ subsidium. Qvanqvàm verò hæc Ratio statu in ætate judicij adulta qvodammodo obtinet, exulare tamen eam oportet à Ratione statu Scholastici in ætate tenella. Enimverò cum hic judicij vigor adhuc desideretur, aperte omnia sunt proponenda, proposita illustranda, illustrata inculcanda. Ast Sapienti sat! Prolixiora, qvæ quidem in promptu essent, detrectat cum temporis angustia, tum præsentia Vestra, Audit. Magnif., Honoratiss., habenda ratio; Rationem Status ingeniorum jam finiat intenta præsentis ætus Ratio. Nempe cum Stralsundō revocatus publicè jamjam sim præfectus Rectoris Scholæ hujus muneri, grati & officiosi animi declaratio nem modesta svadet *Ratio Status*. Et cum hanc mutati mei status rationem benigna DEI ita direxerit providentia, primam etiam pietatis ipsi Creatori & Redemptori meo vindicabo rationem. O Pater Spirituum & omnis misericordia! inexhaustus rationi fons bonitatis tuæ qvot rivulos gratiæ in me miserum non derivavit? Omni curæ ratione indignus Tuâ fruor salutis cura. Ex nihilo produxisti seryum, ut originis vanæ memoria conservationis suæ avidum ad Tui supplicationem deferat; Perditum pretiosus Fili Tui sangvis restauravit; Nomini Tuo altissimo jam laudes dieo sempiternas, & gratias ago supplices: Abstrahat Tua gratia Me ntem à terrenis cupiditatibus, ut in gloriæ Tuæ agnitione meæ sint deliciae; Sint labores futuri Scholastici gloria Tuæ & salutis discipulorum nunqvàm non fœundi per JESUM AMEN. Proximas jam animi grati partes *Magnifico* hujus Reipubl. *Senatui* debiti mei attribuit Ratio. Vos, Viri *Magnifici*, *Aripliss.* *Consultiss.*, qveis Reipubl. Rostochiens. fasces à DEO sunt demandatae, Vos, inqvàm, tām benevolam Mei habuistis Rationem, ut absens suffragatione vestrâ ad honoratum Rectoris Vestri ministerium sim perductus.

Sic

Sic spem ante nunquam conceptam res ipsa exhibet, sic peregrinum magnificientia vestra excipit, fecundat, foveat. Veneror tantum Benevolentie Vestra munus animo devoto, deprædico debitam gratiarum actione, suspiciam observantiae studio. Nimurum cum potior Scholæ Vestrae Ratio fidei meæ jam sit commissa, rationem diversorum ingeniorum exploraturus ita me geram, ut Rationi Status in Scientiis usquequeva consulam & Vestre Rationi status semper rationem reddere queam. Satiet interim Vos, O Patroni Magnifici! Deus vitæ longinquæ prosperitate, propulset vobis nocitura mala, protegat Rempubl. Vestram, ut vobis gubernatoribus tranquillitas animos foveat, exhilaret, rerum copia felicitatem augeat, stabiliat, consilia salubria imminentia mala declinent, & Rationem status semper integrum præstent; Verbo, Vivatis Reipubl. Consilio, Ecclesiæ auxilio, & Scholæ nostræ incremento diu superstites fututi in vitâ felici. Hanc pietatis declarationem jam vos, Excellentiss. Dnn. Scholarachæ excipitis. Vestram gratiam in me exoscular benevolentiam, Vestram Scholæ hujus cutam deprædicant Boni, excipit salus adolescentum. O Viri de re literaria meritisissimi! Vivatis diu felices, ut incrementum capiat hæc nostra Schola, redundant ex vestra facilitate in Praeceptores alacritas, in discipulos studiorum vigor, ut vota ad DEUM pro salute vestra fundantur ut laudes & gratiarum actio vobis referantur. Jam vos, qvos dulci Collegarum nomine compello, accedo; Et quemadmodum sine ulla animi obliquitate affectu in vos prolixo integer desideriis vestris semper sum responsurus, ita parem à Vestris studiis expecto facilitatem. O Viri optimi, multa actionum discordia nostram apud omnes commendemus concordiam, ut inde ratio status nostri Scholastici in majus subinde studiorum commodum excrescat; Coëant in unum amicitiae vinculum animi in laboris Societate & officii demandati exactè habenda ratione. Ceterum virilis us vestris novus accedat vigor, ne virium defectum sub onere Scholastico sentiatis, irriget DEUS labores vestros gratia sua fecundæ fontibus, ut surculi ex horto nostro Scholastico in DEI gloriam, in hominum salutem, progerminent, concedat animis *αἰώνιας*, si non semper respondet rerum copia. Vos vero, discipuli mei, pietas excitet ad observantiae studium, salutis cura inflammet ad industriam, spes Patriæ, Parentum & omnium Bonorum accedat ad quodvis virtutum genus. O Pater parvolorum, quibus dilectarijs, effunde super hos meos discipulos Spiritum gratia Tuæ, ut ad Salvatorem Tuam Cognitionem evitantur, gubernant animos, ut Tibi sint & maneat consecrati.

DIXI.

29/85  
EK





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729968863/phys\\_0048](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863/phys_0048)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729968863/phys\\_0049](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863/phys_0049)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729968863/phys\\_0050](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863/phys_0050)






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729968863/phys\\_0051](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729968863/phys_0051)

DFG



Sanè ubi cursus parum valet, flexui res  
Qvotusqvisque non, aliâ viâ minimè secu-  
terrogando Scientiam tandem invenit ?  
litæ ex Ægypto Palæstinam petituri per va-  
xus demum eò pervenerunt, & Nathan P.  
proposito exemplo tandem Davidis elic-  
in eum retorqvendam, ita Scientia ad Sui-  
riâ qvæstionum obliquitate indiget præn-  
dum plures Scientiæ fovent mysteria nor-  
da, vix aliâ ad Communicationem possu-  
obliqvâ qvæstionum viâ. Hæc sæpius ip-  
præcipitat ad desiderii Tui gratiam, hæ-  
psorum verbis, reliqvis qvamvis abrupti-  
bi aperit aditum. Cum enim Mentem  
sagacissimam, ex uno invento vestigio  
mus conclusiones lucem nobis fœneratu-  
qvi amore Scientiæ ducuntur, tot suscipi-  
ones, ut ex colloqvio Virorum doctorum  
terrogando explicantur Veritatem. Qvæ  
hic juvat, obliqva audit observatio. N  
ones sine observatione parum vel nihil u-  
tiam conferunt; Neqve desiderio tuo ser-  
neqve omni Scientiæ amplitudini suffici-  
nes; Ne itaqve in Scientiæ hiatum incidat  
observanda veniunt. Phengitem lapi-  
tem accepimus Domitiano qvondam  
gvendis parietibus, ut ex ejus splendo  
qvicqvid à tergo fieret, provideret. M  
cium, qvo periculi metum minuit crude-  
Ast qvid miraris? Idem Tibi præstat ob-  
Qvæ primâ fronte notitiam nostram deci-  
capiuntur, qvæ inter mysteria pectoris  
sæpius eruuntur. Et profecto qvema-

F 3




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]